



Pretium Petronianum tertium

(24. Januar 2015)

3. Platz

Adrian Weiß

Helvia Marco suo filio salutem dicit.

Carissime et optime et prudentissime fili, Marce. Tuus frater perditus tota in urbe, ut scis, suam consolationem ad me scriptam nuper effudit. Nunc non mihi audendum est in lucem egredi. Nam omnis civis, tota vitae societas, dum in viis ambulo, oculos deiecit in me, unus quisque ineptias apertas videt. Nonne ille parcere potest? Quid illi iuris est meam vitam facere aliquid, quod in apertum ac propatuum locum extrahat? Quid audet mortem matris et patris et coniugis referre et illos mortuos Romae collocare? Cur me exemplum ad philosophiam ducit? Desineat iam me muliebrem administratorem putare. Mihi verbum privatum non dedicans pietatem erga me directam nullam ostendit. Vide tantum, quo modo me appellet! Mater carissima, me quasi unam e manu amicorum et notorum aequiter nominet! Nonne semper vos primo in loco constitui? Ei cordi est se exemplum Romae dare!

Hic in Corsica exul moratur? Nihil sane, ibi est cum eo, quem maxime amat, secum. Nonne in Corsica sua melius quam illud scribere negotii est? Studeat reditui! Non est sanae mentis! Num femina infinitis lacrimis sum? Quid de habitu familiae nostrae scribit? A magno Aenea orti sumus, at nunc fama domus totius deleta est! Poena potest demi, culpa perennis erit! Me solum speculum philosophiae habet, nonne mater amans sum? Haec mihi causa non erat, quod cum eo de philosophia disputavissem. Vultne me consolari? Quodque parum novit, neminem docere potest.

Semper ille naturae singularis erat, primum carneam cenam non cenavit, deinde gravi morbo affectus est, ut infirmissimus vestrum fuit. Mea soror quidem, ut iste dicit, meum maximum solacium est! Scis, quam diu ab ea supplex petere debuerim, ut eum acciperet et coleret. nunc haec esse videtur mater illi potius quam ego. Non ignoras me semper doluisse quod is mea domo non habitabat.

Quid has turpes litteras conficere potuit? An quia ei in illa insula animus rudis factus est? O, Corsica, abruptum saxum! Legistine quo modo de barbaris scripsisset? Estne consuetudine coniunctus cum barbaris? Venitne horum in consuetudinem? Fecitne relegatio eum hominem vitae humanae communisque ignarum? Quae est causa harum litterarum? Suntne litterae tantum, ut animum

confirment? Sed culpa in eum ipsum confertur! Heu, ex me sollicitudo et amor matris dicit, quamquam quidem saevissima sum! Eum odi et amo. Cur Lucius non potest tuos mores reddere? O tu, exemplum futurorum saeculorum! Cura, ut valeas.